
MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1034
29

I. CAESARII


CONSENTINI ORATIO IN FVnere Ioannæ Aragoniæ, Hispaniæ, Siciliæ, Regniq; Neapolitani Reginæ, & Caroli V. Imperatoris inuictissimi parentis habita.

Romæ 1555.



Illustriss. D. D. Bartholomæo de la Cueua Sãctæ Crucis in Hierusalem Cardinali amplissimo Marcus Valdesius Cardenas S. P. D.

QVanquã multa sunt Ioannis Cæsarii eloquentissimi opera, quæ breui(ut spero)in lucẽ prodibunt quæq; maximã vtriusq; linguæ studiosis vtilitatẽ afferre poterũt,hanc unã tamen orationẽ quã ĩ funere clarissimæ Hispaniæ Reginæ habuit,eo inscio,& inconsulto ædendã censui. Cum n.in hac tantorũ principum res gestæ,qui suis egregiis factis Hispaniæ nomẽ illustrarunt, elegãtius q; dici possit celebrẽtur, nefas esse putaui quicq; silentio, ac negligẽtia prætermittere, quod ad fœlicissimæ Hispaniæ patriæ meæ decus & gloriam augẽdã pertinere existimarẽ. & quoniã cõpertũ est Pater amplissime q; libẽter eius honori, ac dignitati prospicias: vtq; semper proprias fortunas tuorũ prĩcipũ vtilitati p̃fracto atq; cõstãti pectore posthabueris,orationem hãc & mea,& eius qui composuit causa,tuo nomini dicare,& cõsecrare decreui. Tũ vt meũ studiũ & obsequiũ erga te, quod mei ẽt tuis olim maioribus detulerũt,aliqua oblata occasione declararẽ: Tũ vt elegãtissimæ orationi, cuius laudes nihil est opus inpræsentia recẽsere, tui nominis celebritate nouus nitor & splendor accederet. Hoc igitur munus (obtestor) ea beneuolẽtia complectere qua reliquas Hispaniæ res prosequi soles, ac talẽ te in tuendis tãtorũ regũ laudibus præbe, quales hactenus tuæ p̃claræ familiæ duces in rebus gestis,á quibus hæ laudes dimanarũt, acerrimos se illis propugnatores ac defensores præbuere. Vale.



I privati homines, qui præclare se in re aliqua gesserunt, summis laudibus post obitū affecti, & publica sunt olim oratione celebrati, ut suus cuique tributus sit honos, quē uirę ciuilis finē fere esse plerique dixerūt: quāto magis Patres amplissimi, cæterique auditores ornatissimi reges, & reginas cōmendari, & pro dignitate laudari debere putandum est? A quibus non sine Dei Op. Max. prouidentia, rerum publicarum gubernacula tractantur, & populorum salus cum uitæ cōmoditate curari solet. Hoc laudis genus non illis maxime debetur, quod post obitum sit ualde necessarium, sed ut nos nostro fungamur munere, ne ingrati, ac tot beneficiorum uideamur immemores, aliisque principibus uitam uiuentibus calcaria adhibeamus, ut præclara factitantes, cum è uita cesserint, simili laude se dignos præbeant. Præterea qui reges, aut reginas cōmendat, Dei munus cōmendat, qui uerè bona omnia largitur, & à quo regnādi potestatem dari nemo est quin fateatur, uetus est .n. illud, omnis principatus à cœlo est. & Reges Dei filij, Deique simulacra nuncupantur. Itaque cū Ioannæ Hispaniæ, ac utriusque (ut appellant) Siciliæ reginæ post mortem laudandæ sit mihi labor impositus, quanuis modicam dicendi facultatem inesse mihi sentiam, tamen illum detrectare, ac subterfugere non potui, tum quod reginam multis de caussis laudandam probe norim, tum quod eo sū natus ingenio, ut illas tacere uirtutes nō possim, quæ nostro sæculo gloriæ, ac posteris exemplo esse ualeant, si uero cuncta, quæ dicenda forent, uerbis cōplecti non potero, non solum in uires meas, quæ perexiguæ sunt, uerūetiam in maximas temporis angustias transferendam esse culpam existimate. Prius autem quàm singulas quæ huic Reginæ tribuendæ sunt laudes recenseam, paucula quædam de clarissimi generis antiquitate differenda mihi sunt, nam si uelim omnia singillatim cōmemorare, dies quidem certe mihi dicenti non sufficeret. Quis .n. nescit Castellam, & Aragoniā familiam adeo claram extitisse, & à tot potentissimis Regibus fuisse illustratam, ut abhinc multos annos nullæ scribi potuerint historiæ, quin de præclarissimis illorum regum facinoribus facta sit mentio? Longa narratione opus esset, ac historicum potiusquam oratorem agere uiderer, Si quæ de Ferdinando (ne rem altius repetam) in medium proferenda essent, & iampridem literis cōmendata sunt, uobis enarrarem. Ille .n. tot egregias uirtutes per totum uitæ curriculum ostendit, quot nunquam alij reges in laude uersati, & gloria circum fluentes præse tulere. Nam quis illius benignitatem in fratris filiū perpetuo prædicandam non censeat, ut lycurgo sapientissimo uiro,

qui eundem se fratris filio præstitit, non iniuria sit conferendus? Cũ .n. Henricus frater natu maior & Castellæ Rex moriens filium suũ quinq; natum menses, illius fidei ac tutelæ cõmendasset, non multo post tempore populi, qui Regis ætate prouecti consilio, ac diligenti administratione indigebant, illum uno omnium consensu Regẽ elegerunt, suntq; uehementer exhortati sere impellentes, ut Regia corona se redimiri permitteret: Ferdinandus ut populari furori materiã subtraheret, respondit se omnia libenter esse facturum, quæ populis non displicerent precatus est tamen primarios, ut priusquam Regijs insignibus esset exornandus, quæcunq; ipse faceret, cæteri quoq; libenti animo facturi essent, quod simulac omnes iureiurando spoponderunt, Toletum, ubi Regius erat apparatus, Regniq; potestatẽ populorũ impulsu sibi erat assũpturus, accessit, iussitq;, cõstituta die, nutricẽ, quæ fratris filiũ gestabat, in mediũ ꝓdire. hunc ille suis manibus in altũ substulit, huius tanquã ueri, & legitimi Regis dexterã osculatus est, quod cum primarii aspexissent, maxima affecti admiratione, ac Ferdinandi in fratris filium beneuolentiam, & fidem suspicientes, facto concursu, pueri dexterã similiter sunt osculati, eumq; certum & legitimum Castellæ Regem declararunt. Quis est adeo à ratione auersus, ac alienus, ut tantam Ferdinandi fidem, & integritatem posteritatis memoria dignam non arbitretur: Celtiberi uero postquam illius probitatem, ac admirabilem in rebus gerendis solertiam acceperunt, Rege carentes, illum ad Regnum accersiuerunt, ac supra omnium expectationem Regio munere fungentem tanquam numen sunt uenerati. compertum est etiam quantum gloriæ sibi Alfonsus comparauerit, qui cum magna militum manu in Italiam ex Hispania traiecit, hostes profligauit & fudit, sibiq; regni potestatem feliciter asciuit, hic præterquam q; in bellis gerendis adeo fortis & magnanimus extitit, ut sciẽtia rei militaris facile in posterum prælucere, seq; immortalitati cõmendare potuerit, eam literis operam dedit, ut in utro exercitationis genere maiorem sit laudem consecutus, pleriq; in dubium, & controuersum reuocent, turpissimum.n. esse putabat fines regni propagare, & diuitiis, quæ repente amitti possunt, et à fortunæ temeritate pendent, abundare, animum uero, qui uere noster est claris ingenuisq; artibus non excolere, ac per inertiã, & socordiã turpiter ætatem agere. nihil etiam sempiterna dignum gloria fieri posse iudicauit, nisi maiorum exempla ponãtur ob oculos, quæ uiri doctissimi literis elegantissimis consignarunt. Subsecutus est Ferdinãdus, qui à uirtute paterna non degenerans nihil unquam agere ausus est, quod deo qui penitissima quæq; inspicit acceptissimum, & uiris sapientissimis gratissimum non foret, Clauum tenens ita rem p. administrauit, ita sapienter gessit, ut à recta semita detorqueri prauisq;

cupiditatibus irretiri nunquam potuerit, ita omnium saluti, & utilitati prospexit, & consuluit, ut suam periculis uitam cõmittere non dubitauerit, quanto .n. cum animi & corporis robore Turcas immanissimos, qui campos inuaserant salentinos, fugauit & expulit, ac præter omnium expectationem, uictoria, quam assequuti hostes uidebantur, magna cum laude potitus est? ex qua tutissimam quietem Neapolitano Regno, quod sæpe malis uexatum est uariisq; rerũ fluctibus agitatum, attulit, multosq; annos conseruauit. Quid de illo Alfonso dicã? qui licet ita miseriis, & calamitatibus fuerit oppressus, ut in Siciliam Regia potestate priuatus transmittere coactus sit, nunquam tamen animo cecidit, nunquam de gradu deiectus est, forti constantiq; pectore mala, quæ solent hominibus euenire, pertulit, suaq; prudentia multa tentauit & expertus est, ut se in pristinam dignitatem fortiter cum fortuna luctans restitueret. Quid de Ioanne Hispaniæ Rege, nonne hic etiam celeberrimis Aragoniæ, Castellæq; familiæ Regibus est inserendus, qui sui regni terminos non excedens libidines coercuit, omnes cupiditates perdomuit, nulloq; amplificandæ fortunæ desiderio flagrans, in uitæ perpetuitate constitit, ac in nullo claudicauit officio? Huic successit Ferdinandus filius, qui uirtutem sequens paternis uestigiis insistere conatus est, sed paterno Regno non contentus, multa, quæ in Africæ ora maritima sunt, oppida munitissima expugnauit, immanes populos, qui noui appellantur Indi, & quos ueteres illi prorsus ignorarunt, sub iugum misit, a ferino uictu deterruit, & sine lege uiuentes, nullamq; Dei ueri notitiam habentes, ad Christianã religionem offirmatis animis colendam perduxit, & sacris aquis abluit, armis decernens hostium in Italia fregit audaciam, sibiq; omnem Neapolitani Regni dominatum uendicãs bellorum incẽdia iãpridem excitata solerter extinxit, sanctissimæq; religioni una cum Isabella Castellæ Regina prudentissima, & integerrima uxore addictus, meruit catholicus (ut uulgi utar uocabulo) nuncupari. Si temporis opportunitas mihi daretur, & si á re mihi proposita digredi non opus esset, multa etiam de hac Isabella Ferdinandi coniuge dicere possem, quæ longa indigent historia. notum est.n. quemadmodum cum uiro suo Iudæos ex Hispania fugauit, mauros e Bethica expulit, multaq; alia memoratu digna, supra quã cuiquam credibile est ædidit, siquidem non solũ in Hispania uerũ etiam Romæ templa construxit, ac deo pie Augusteq; cõsecrauit, sed alio mihi properandum est. Huius Isabellæ ac Ferdinandi Regis filia fuit Ioanna, cui nunc parentatur, & ad quam pro ingenij uiribus celebrandam omnis hic meus pertinet sermo, nam si uelim cunctos Aragoniæ Castellæq; familiæ Reges enumerare, longo uerborum circuitu uobis molestiã exhiberẽ quã maximã. Sed Federicus

mea quidē ſententia tacendus non ē, qui licet illud a fortuna uulnus acceperit, quod nunquam obligari potuit, laudandus tamen eſt, & memoriæ prodendus, ob incredibilem in caſibus perferendis conſtātiam. Hic enim quamuis è Regno fuerit miſerabiliter expulſus, nullis potuit dolorum facibus admotis exterreri, ualloq; conſtantiæ munitus putauit humana ſic fluere, ſic incerta eſſe, ut è manibus labi, ac paulo momento amitti poſſint. Cræſum à Cyro deuictum, ac Polycratem Sarniorum Regem crudeliter in crucem ab hoſte ſublatum frequenter in memoriam reducebat, ſeq; in maxima rerum difficultate uerſantem peioribus aliorum regum calamitatibus conſolabatur. Fuerunt Aragonij Reges omni uirtutum genere excellentes, Sed nihil eſt in orbe terrarum quod diu permaneat, cūcta fluunt, omnisq; rerum facies ætate procedente mutatur. Accepiſtis Aegyptios olim fortunatos, accepiſtis Aſſyrios, & Perſas florentiſſimos, accepiſtis Græcos Aſiæ regnum occupaſſe, ſed quis nūc illorum ſtatus eſt? Corruit tandem Romanorum imperium: quod ſatis aperto nobis eſt argumento, nullam perpetuam eſſe potentiam, nullamq; felicitatem valde diuturnam. Sed Aragoniorum fortuna non eſt ſane deploranda, Nam translata eſt regnorum poteſtas in Carolum Cæſarem Ioannæ reginæ filium, qui Aragoniæ Caſtellæq; familiæ decus tuetur & ſuſtinet, & cuius laudes in aliud mihi tempus differuntur, cum neceſſe habeam ad Ioannam ipſam clariſſimam illius parentem orationē conuertere, hanc enim potiſſimum laudibus honeſtandam mihi propoſui. fuit hæc præter paterni materniq; generis vetuſtiſſimam claritatem corpore adeo pulchro venuſtoq;, vt qui eam conſpicarentur, vere dignam imperio exiſtimarent, habebat enim aptam membrorū compoſitionem cum quadam coloris ſuauitate, talemq; formam præ ſe ferebat, vt ex ea reconditos mores unuſquiſq; cognoſceret, affert .n. coniecturam tacita corporis figura, ipſumq; animum ſæpius indicat, varijs etiam uirtutum generibus enituit, quibus iam inde à pueritia naturæ impulſu ſe addixit, vt diuino conſilio ad regnādum nata videretur. Quocirca probitatem annis maturiorem cunctis plane admirantibus oſtendit. nihil agere, nihil plane loqui audebat, quod ætati uerecundæ, & regijs moribus inſtituendæ non conueniret, ſuaq; ſponte ad ea propenſa ferebatur, ad quæ ſagax, & ſedula nutrix, vt ſuo fungeret munere, ſolebat hortari, creſcebat ætas, creſcebat pudor, & honeſtatis amor. Iā vero nubilis Philippo tunc ꝑpotenti claroq; Auſtriæ dūo & Maximiliani Imp. filio nupta eſt, qua verboꝝ copia, qua ſententiaꝝ grauitate, poſſem vobis exprimere. P. ampliſſimi quā tēperate q uā prudēter in coniugio, & in cōmuni regnorum adminiſtratione ſe geſſerit? licet enim in altiſſimo rerum gradu fuiſſet fortuna collocata, nunquā tñ ſe inſolenter efferebat, ſed placide co-

miterq; omnes alloquebatur,ac de sua grauitate nonihil remittebat, Philippum virum suum ad regiam potestatem connubij iure euectū vt probam & religiosam decet mulierem, singulari beneuolentia cō plectebatur, sciebat enim virum & vxorem duo esse corpora sic à Deo vinculis arctissimis astricta,deunctaq;, vt absq; nefario scelere dissolui non possint, Tantum vero voluptatis interdum capere con sueuit,quantum personæ decorum patiebatur, ratioq; ipsa postula bat ,non enim molliter & nimis delicate viuebat,putabatq; illas in opia consilij laborare,quæ fortunæ bonis locupletatæ nihil aliud no ctes atq; dies temere cogitant, nisi quo pacto possint noua perfundi voluptate:& quæ cibis exquisitissimis vescentes pinguescere cupi unt,perinde quasi animam pro sale habeant, ac fucis oblitæ & mile sijs vestibus indutæ,vt spectentur, in medium prodeunt. Hasce mu lieres Ioanna,quæ fuit vnicū virtutis exemplar,detestabatur,& cer nere oculis non poterat:Nunquam.n.modestiæ fines transiliuit,nun quam extra pudicitiæ cancellos egressa est,eamq; se præbuit in regio munere obeundo,vt populis, quibus hæreditario iure dominabat, æqui boniq; obseruantissima iocundissima esset , sic enim iustitiam colebat virtutum omnium reginam, ut nihil ea duceret antiquius, Regesq; suæ tantum utilitati consulentes una omnium conspiratio ne putaret expellendos Nihil periculi poterat intendi,nihil immine re quod multo ante non videret,suoq; cum viro sagacissime consul tabat quomodo res tuto cōsisteret , suæq; fortunæ ab hostiū impres sione,omniq; periculo conseruarentur. ex quibus liberaliter paupe ribus pecunias erogabat, pupillos alebat,viduarum inopiam suble uabat. Quot virgines lenonum insidijs expositas honeste collocauit? Quot mulieres filiorum & filiarum turba circūseptas, quæ uictū preca rio quæritabant sustentauit? Quot ære suo tēpla erexit? Quot in sa crarijs aurea dona Deo diuisq; oblata reposuit? In unaquaq; re agē da Christum opt.max.ferebat in oculis,cunctaq; iusto examine per pendens,licet regina esset,humana tamen se lege procreatam cogita bat,quare nihil vnquā perpetrare uisa ē quod diuinis præceptis re pugnaret,legibusq; ad reip. vtilitatem iampridem sancitis aduersa retur , quamuis enim vtriusq; sexus prole se felicissime auctam uide ret,ut partim filij,partim filiæ cunctos ferè Christianos populos in suam ditionem redegerint, multum tamen sibi non tribuebat , om nemq; gloriam Deo patri, à quo cuncta bona profici scuntur deferen dam esse arbitrabatur. siquidem gestire non solebat Helionoram fili am aspiciens Lusitaniæ primum,deinde Galliæ reginam,quæ Fran cisco regi potētissimo nupserat,nec multum sibi placebat,quod Isa bellam opulentissimus Dacorum rex haberet in matrimonio,Mariæ Pannonia pareret,& Catarinæ Lusitania , quanta fuit Ioannę felici

tas'que cum regina esset quatuor peperit Reginas. Nonne illudquod sequitur summæ etiam laudi ducendum est? exultantem enim lætitiam comprimebat, Ferdinandum filium vidēs Bohemię Pannonięcp dominari, & Romanorum Regem appellari, ac nuperrime audiens Britanniam Philippi clarissimi nepotis imperio subiectam. Quis illius fortitudinem & prudētiā in vtracp Caroli imperatoris inuictissimi filijcp sui iocundissimi fortuna non admiretur? Cum .n. Carolus tot rebus gestis, totcp egregijs factis, quæ persequi longum esset, imperatoribus, qui abhinc plures annos floruere, palmam eripuerit, multos populos subegerit, multascp victorias reportauerit, quę iure optimo sunt ad posteritatis memoriam propagandæ, Ioanna mater eodē vultu, eodemcp animo semper sibi constitit, nō immoderato gaudio triumphauit, non potuit sic efferri vt nimium gloriari videretur. Cū vero idem Carolus á fortuna nonnunquam fuerit afflictatus, quæ sæpe bonorum consilia interturbat, rescp laudabiliter inceptas interrūpit, non multum illa commouebatur, ac dicebat rerum vicissitudinē æqui bonicp faciendam, nam si cuncta succederent uotiscp responderent, Deus qui potest ima summis æquare, summacp imis, non facile cognosceret, ac homines felici rerū oīumeuentu sine dubio desiperent. Sed quo mea prouecta est oratio. quantum illa res humanas despexit, simulac Philippum virum suum, quem vnice diligebat, de vita migrasse vidit, quidquid regnorum habebat paruipendit, formā, nobilitatem titulos, cunctacp insignia contempsit, humanæcp vitæ fragilitatem solicito animo cogitans in secretum cubiculum se abdidit, & Philippum mortuum eodem prosequens amore, quo fuerat viuum prosecuta, ut Artemisiæ nihil concederet, Christi simulachrū frequenter amplectebatur, multoscp annos Regium luxum, & apparatum negligens tanquam priuata mulieruitam sanctissime traduxit. Tandem cum senio confecta in grauem & mortiferum morbum incidisset, communem moriendi legem patienter ferens, cœlum erecto animo suspiciebat, cœlestemque vitam contemplabatur, cumque animam ferme efflaret se certo sentire dixit Christum suæ animæ misereri, quod cum dixisset, mortua est, & ad cœlum euolauit. Cuius mortem non est. P. A. cur lachrimis prosequi debeamus, nam senili ætate secundum naturæ legem diem suum obijt tot tantiscp affluens bonis, quot & quanta potuere unquam á Regina desiderari, præterea nobis illos reliquit hæredes, qui suis maximis uiribus monstra superantes terra maricp omnia pacabunt, & christianæ Religionis acerrimi propugnatores diuinæ ueritatis hostes propellent, & exterminabunt. Dixi.



